

est ratio convenientis, aut disconvenientis boni, vel mali.

XI. Quare ex hoc discernitur, quod munus dispositionis, seu habitus non sit primo, et per se ordo, seu respectus activitatis ad operationem, sed convenientia, vel disconvenientia commensurationis, et coaptationis in ipsa natura, seu subjecto disposito in ordine ad aliquam formam, vel finem. Imo quando habitus vel dispositio ponitur in potentia activa, perficiendo, et quasi aciendo ipsam, adhuc principaliter non constituit ordinem ad actum, sed coaptationem, et debitam commensurationem erga talem actum, seu operationem. Supponit enim habitus potentiam habentem ordinem indifferentem de se, et quasi potentiam ad plures actus, seu operationes, hæc enim sola capax est habituum. Unde habitus non habet necesse addere ordinem, seu respectum ad talem actum, sed solum id quod erat in confuso, et indifferens, explicare, et actu determinare ipsa consuetudine, et multiplici labore, aut determinatione aliqua ad talem actum determinate, et in particulari, ex quo tamen consequenter ipsa activitas perficitur, et acuitur potius determinatione, et ordinatione activitatis, quæ erat indifferens ad plura, quam superadditione activitatis ad activitatem potentia, sed ordinatione, et determinatione indifferentia. In aliis vero subjectis, quæ non sunt potentia activæ, magis constat quod dispositio superaddita non addit ordinem ad operandum, quia non hoc exigit natura illius subjecti. Unde fit quod habitus infusi, quia non solum coaptant et commensurant potentiam ad actus ad quos ex sua natura dicebat ordinem, sed etiam elevant, ut de novo ordinem importet positive, et actualiter, ad quod antea solum dicebat obedientialiter, magis accedunt ad rationem poten-

tiæ, et habent modum quemdam potentia, quatenus in ipsa potentia naturali non supponunt respectum, et ordinem positive, et actualiter ad operationes supernaturales, sed solum obedientialiter; et ideo habitus superveniens elevat, et præbet primo, et immediate hunc positivum ordinem, non vero solum coaptat, et determinat præhabitum. Dicitur tamen simpliciter habitus, licet habeat hunc modum potentia, quia etsi non præsupponat proportionatum, et positivum ordinem ad illam operationem supernaturalem, præsupponit tamen obedientialem, et radicalem, illamque determinat, et coaptat elevando ad superiorem ordinem, quem antea nondum actualiter respiciebat.

XII. Et inde est, quod habitus supernaturalis, et dicitur dare totam virtutem ad agendum, et tamen potentia radicaliter operatur, et vitaliter, quia habitus supernaturalis datur potentia elevando illam ad ordinem superiorem, et proportionando illam ad id quod ex sua naturali virtute non potest, sed solum habet ad id obedientialem capacitatem, et potentiam, non positivum, et actualem respectum: illa tamen capacitas obedientialis solum habetur in potentiis talibus, scilicet quæ spirituales sunt, et possunt vitaliter operari. Unde fit quod ratione habitus infusi superveniens, accipiant illæ potentia primum, et essentialem, seu specificum ordinem, et proportionem, ad talem operationem supernaturalem, et hoc est habere ab illo habitu totam virtutem ad illum actum, ut proportionatam, et positive respicientem illum, et tamen supponatur ex parte potentia capacitas, et potentia obedientialis, ut posita tali elevatione influat in actum. Et sic præsupponitur aliquid ex parte potentia obedientialiter se habens ad illum actum, non aliquid

proportionate se habens, et positive respiciens, et ratione ejus quod præsupponitur, ille habitus infusus præstat convenientem dispositionem ad operandum, et non primam radicem vitalis operationis; ratione autem elevationis ad superiorem ordinem præstat totam proportionem, et positivum ordinem ad talem actum, licet non radicalem.

XIII. Ex hoc autem explicatur secundum, quod supra proposuimus, scilicet, quid sit specialiter in habitu, vel dispositione convenientiam, vel disconvenientiam habere ad naturam, vel subjectum, cum hoc videatur commune omni accidenti, omne enim accidens adveniens subjecto, vel est illi consonum, et conveniens, vel contrarium, et disconveniens, aut disparate se habet, et indifferenter, quamvis fere nullum sit, unde aliquid convenientis, vel disconvenientis habere non possit, saltem quoad ornatum, vel modum se habendi.

XIV. Respondetur ex doctrina S. Thomæ in hac quæstione XLIX, articulo II ad primum et secundum, ubi hanc difficultatem posuit, quod aliis accidentibus, quæ non sunt habitus, et dispositio, potest convenire bene vel male, convenienter aut disconvenienter subjectum afficere non per se primo, et propria specificatione, sed prout ingrediuntur, aut reducuntur ad componendum id quod est habitus, vel dispositio, sicut figura, et color non secundum se; sed prout componunt pulchritudinem, et calorem frigus ut componunt sanitatem, ad dispositionem reducuntur. At vero dispositioni, et habitui hoc convenit per se primo, et ex ipsa specificatione habent hoc munus convenienter ordinandi aliquid in subjecto.

XV. Hoc autem ita explicatur ex doctrina D. Thomæ loco citato, adjuncto eo quod dicit articulo primo

ad tertium, quia dispositio (ut ex philosopho dictum est) dicit ordinem alicujus habentis partes. Quæ partes non solum accipiuntur secundum partes quantitativas, seu pertinentes ad locum, sed secundum partes virtuales, quas ibi vocat Aristoteles partes secundum potentiam, et secundum speciem, quales inveniuntur in scientia, et virtute, quæ paulatim crescunt, et perfectum statum accipiunt. Pertinet ergo ad qualitatem, quæ est dispositio, ponere ordinem in his, quæ disponit, quatenus aliqua multa actualiter, vel virtualiter reperta in aliquo, debite ponuntur, aut ordinantur, aut collocantur, aut ad unum rediguntur, ut convenienter vel disconvenienter se habeat natura, seu subjectum ex tali ordinatione, et determinatione inter illa plura, ad quæ indifferentiam, et potentialitatem, et quasi confusionem habet. Hoc autem nec aliis accidentibus, neque aliis speciebus qualitatis convenit, licet omnibus conveniat hoc quod est afficere substantiam, et ei aliquam perfectionem aut deteriorationem afferre, sive quoad essendum, sive quoad operandum: specialiter vero inter aliqua multa ad quæ datur indifferentia, ordinem componere, et consequenter debite, vel indebite in ordine ad ipsam naturam collocare, non convenit nisi dispositioni, seu habitui: nam verbi gratia calor, vel frigus, ut præcise qualitates activæ sunt, non respiciunt ordinare multa, aut debite collocare, vel disponere, sed solum virtutem activam dare, et idem est de potentia, quæ solum dat vim ad agendum, vel resistendum, et similiter figura ponit terminationem partium, aut ex illa resultat, non ipsum ordinem, et debitam collocactionem, aut proportionem earum facit in ordine ad bonum naturæ, vel subjecti. Et similiter discurri potest cir-

ca illa accidentia, quæ primo, et per talem ordinem, et collocacionem, aut positionem debitam non habent facere: si quid vero istorum important, est quatenus aliquem modum habitus, vel dispositionis induunt, licet quia id non habent facere primo, et per se, non sunt primo, et per se dispositio.

XVI. Solum posset aliquis objicere de aliquibus accidentibus, quæ pro formali ratione, et primario munere habent ordinare partes, ut quantitas ex qua resultat figura, et situs, qui etiam ordinat partes in loco. Et prædicamentum quando ordinat partes temporis primo, et per se distribuens mensuras dierum, mensium, et annorum, et generaliter quæcumque important aliquam rationem mensuræ, ordinationem ponunt inter multa, nec tamen sunt habitus. E contra vero multi sunt habitus, qui non apparet quas partes ordinent, vel disponant, ut gratia in anima, species intelligibilis in intellectu, et scientia, et similiter virtutes in voluntate. Ergo inconvenienter explicatur ratio dispositionis, et habitus penes ordinem debitum inter multa, neque inde infertur, quod consistant in convenientia, aut disconvenientia ad naturam, seu subjectum.

XVII. Respondetur ex dictis quod ordinare multa, aut adunare, et reducere ad aliquid unum potest dupliciter considerari. Uno modo absolute, et secundum se; alio modo respective ad naturam, seu subjectum, ut ex tali ordinatione, aut positione ad suum esse, aut operationem debite, vel indebite commensuretur, et commodum, vel incommodum reportet. Hæc enim ordinatio redditur qualificativa, hoc ipso quod secundum aliquam commensurationem ponit modum in subjecto, quod est proprium munus qualitatis, ut D. Thomas affirmat hic

articulo secundo. Non autem quæcumque ordinatio multorum pertinet ad dispositionem, et habitum, sed solum qualificativa, et commensurativa subjecti, id est, reductiva indifferentiæ, et indeterminationis ejus erga multa, ad debitam determinationem, et statum. Dicimus ergo quod ordinatio partium, seu multitudinis absolute, et secundum se potest inveniri extra qualitatem, ut in quantitate, in situ, in quando; unde etiam in mathematicis potest inveniri ordinatio partium, et figura, et situs, abstrahendo ab omni ordine ad bonum, vel malum subjecti, eo quod mathematica abstrahit a bono, et fine, et ab omni motu. Et sic ordinatio partium quantitatis, sive quoad se, sive quoad locum, et similiter in successivis, ut in tempore, et motu adunatio, aut connexio partium, nihil importat de dispositione qualificativa, quia non respicitur in hoc ordo aliquis ad naturam ut convenienter, vel disconvenienter aptetur in sua indifferentia, et indeterminatione, sed tantum extensio partium tollendo confusionem illarum per quantitatem, seu extensionem.

XVIII. At vero ordinatio multorum non extensiva, sed respectiva ad bonum subjecti, ad convenientem, vel disconvenientem ipsius, qualificativa est, et ad dispositionem pertinet, quia tali ordinatione dici possumus quales, seu qualificati, sive in bonum, sive in malum. Unde etiam locus, non quatenus præcise ponit locationem rei in aliqua distantia, sed ulterius addit conservationem rei in loco, qualitatem importat, non ubi, quia importat aliquam temperiem, quæ ad dispositionem potest reduci, sicut sanitas. Et sic patet quomodo ordinare, et disponere multa, aliter pertineat ad quantitatem, aliter ad qualitatem, seu dispositionem, quæ ordinat non

absolute, sed respective ad subjectum, vel naturam juxta ejus debitam, vel indebitam commensurationem, et exigentiam, seu finem.

XIX. Ad secundam vero partem argumenti, quomodo hæc ordinatio inter multa inveniatur in aliquibus habitibus, seu dispositionibus, verbi gratia in gratia, in scientia, in virtutibus, lumine gloriæ, etc. respondetur semper in his supponi aliqua multa, vel in potentia, vel in actu, quæ ordinentur, aut circa quæ versetur ille habitus, si quidem in omnibus istis debet salvari definitio, et ratio dispositionis, quod est ordo habentis partes, ut supra ex philosopho diximus. Gratia igitur ponit ordinem inter multa radicaliter, quia est radix ordinandi, et dirigendi omnia, quæ sunt in homine ad finem, et hoc ordinat convenienter ad naturam, quia elevando illam ad superiorem ordinem, et rectissime, ac convenientissime perficendo. Species intelligibilis ordinat, et disponit multa, quia potentiam indifferentem determinat in unam objecti representationem, et formalem rationem sub qua plura etiam contineri possunt, sicut in una specie visibili ordinantur sub una ratione formali coloris, omnia quæ ex parte subjecti se tenent, quantitas, figura, motus, quies, et sexcenta alia. Lumen gloriæ ordinat inter multa; tum, quia intellectum ad multa indifferentem determinat ad visionem Dei; tum, quia elevat intellectum, ut attingat visionem suam ultimum finem, et in eo videat omnia, quæ pertinent ad ipsum hominem, et ad directionem ejus, succedit enim fidei, et ad omnia quæ fides attingit, disponit hominem, licet altiori, et simpliciori modo, non enim ista multa, quæ ordinantur per dispositionem, solum ex parte modi attingendi, consideranda sunt; inde enim potius simplicitas, et

unitas habetur, sed ex parte rerum attactarum, quæ ab ipsa dispositione, et ratione illius ordinantur. Nihil autem est in beato, quod non a lumine gloriæ regulari, et ordinari possit. Scientia etiam disponit, et ordinat circa multa, quia plura objecta sub una ratione attingit, et plures species intelligibiles ordinate disponit, quia ad omnia illa indifferentiam potentiam determinat, et debite ponit, aut collocat, seu ordinat circa objecta illa attingenda.

XX. Virtutes in voluntate ordinant, et disponunt circa multa, verbi gratia circa diversas passiones, circa diversos actus, vel objecta, circa quæ convenienter ipsam potentiam ordinant, et ejus indifferentiam ad actum reducunt, et diversas istas materias, aut objecta tamquam partes respiciunt istæ dispositiones, et habitus, quia circa illas disponendas, et ordinandas versantur. Et ut verificetur, quod habitus ordinant, et disponunt inter multa, sufficit quod ipsam indifferentiam potentiam, sive voluntatis, sive intellectus, sive appetitus determinat, et actuant, quia cum illa indifferentia sit ad multa, hoc ipso quod potentialitatem illam ad unum modum operandi determinat, utique inter multa ordinant, et disponunt.

XXI. Et in his omnibus non meminimus intensionis, et remissionis, secundum quas etiam multitudo aliqua attendi potest in quantum crescit habitus, vel decrescit; tum, quia intensio, et remissio etiam aliis qualitibus præter habitum est communis; tum, quia ordinatio illarum partium, seu graduum non indiget dispositione superaddita ordinante, sed per se ipsos tales gradus ordinantur ipsamet intensione, aut remissione. Quomodo autem possibilem qualitatem, dispositionem, et habitum Porphyrius penes intensionem, et remissionem distin-